Fragmentarium

De vii artibus liberalibus

9

5

DE SEPTEM LIBERALIBUS DISCIPLINIS. Hę artes cur libera
les dicuntur? M. Quia eas illi tantum inuenerunt qui libros fecerunt uel
certe liberales que in libris scribunt. D. Harum disciplinarum que est prima?
M. Gramatica. D. Quid est? M. Gramatica est scientia recte loquendi.
et origo. et fundamentum liberalium litterarum. D. Hec ars quando inuenta
uel cur? M. Hęc in disciplinis post litteras comunes inuenta est.
Ideo ut iam qui didicerant litteras per eam rectę loquendi rationem scirent. D.
Gramatica ubi nomen sumpsit? M. Gramatica autem a litteris
nomen accepit. Gramatica autem greci litteras uocant. D. Que est II?
M. Rethorica. D. Quid est rethorica? M. Rethorica est bene dicendi
scientia in ciuilibus questionibus ad persuadendum iusta et bona. D.
Unde dicitur rethorica? M. Dicta autem rethorica appellatione apo tou
rethorisin id est a copia locutionis. Resis enim apud grecos locutio dicitur.
Rethor autem orator dicitur vel uocatur. D. Hanc artem quis repperit? M.
Hęc autem disciplina a grecis inuenta est id est a gorgia. aristhotilę
ermagora. D. Qui transtulerunt eam in latinum? M. Translata est
autem in latinum. a tullio. et quintiliano. D. Que est III? M.
Dialectica. D. Quid est dialectica? M. Dialectica est discipli
na. ad disserendas rerum causas inuenta. D. Quis eam inuenit?
M. Hanc quidem primi philosophi in suis dictionibus habuerunt.
Non tamen ad artis redire peritia. Post hos aristhotiles ad regulas
quasdam huius doctrinę argumenta perduxit. et dialectica nun
cupauit. D. A qua ratione? M. Eo quod in ea de dictis disputatur.
Nam lecton dictio dicitur. D. Que est IIII? M. Arismatica. D.
Quid est artematica? M. Artimetica est disciplina numerorum.
Greci enim numerum aritmon uocant. D. Qui hanc disciplinam
repperit? M. Apud grecos hanc artem primum phitagoran au
tumant conscripsisse ac deinde a nicomacho diffusius esse dispositam.
D. Qui transtulerunt eam in latinum? M. Primum apulegius in lati
num eam transtulit. Deinde boecius. D. Que est V? M.
Musica. D. Que est musica? M. Musica peritia modulationis

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.34, 5r – Excerpts on Grammar; Excerpts from Isidore, Etymologiae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-zgqx/5285/50124)